

1538 strum, quod duobus, & quingentis passuum millibus Nau-
plio distat, castris positis, arctiori obsidione urbem premere
est adortus.

Eodem tempore in Illyrico vario rerum successu pugnaba-
tur. Nam Franciscus Barbarus, equitum praefectus, Carinum ho-
stium oppidum aggressus, duobus captis propugnaculis, Tur-
cas se recipere in arcem coegerat; ad quam cum situ, ac mu-
nitione praevallidam expugnandam, majoribus viribus opus es-
set, suburbiiis incensis, direpto agro, hostibus perterrefactis,
ut per multos dies ab incursionibus abstinerent, Jaderam re-
versus est. Per eos dies Turcae ad viginti millia, ut ejus ur-
bis oppugnationem tentarent, Clivum convenere; ex iis pe-
ditum duo, quatuor equitum millia Nadinum, oppidum in
Reipublicae finibus situm, adorti, certis conditionibus recepe-
re; centum, ac quinquaginta milites, qui custodiae praeerant,
Jaderam se contulere. Ea in urbe cum pecunia in militum
stipendia non suppeteret, ac tormentarius pulvis deficeret, &
propugnaculum, quod *Pontonum* vocatur, fundamentorum an-
gustia corruisset, Senatus argentum ad militaria stipendia per-
solvenda, atque ad urbem muniendam transmisit. Scodrae quo-
que Sangiacus cum quindecim hostium millibus Antibarim
aggressus, in litore urbi propinquo castra posuit; sed a Ni-
colao Bondimerio sinus praefecto, atque a Capellio classis im-
peratore Antibarensis praesidio illato, Turcae, obsidione re-
licta, Olchinium perrexere: centum Illyrici, quinquaginta
Carni equites subsidio missi. Verum hostes x. kal. maji Ura-
nam, oppidum agri Jaderensis, cum sex peditum, & duorum
equitum millibus aggressi, vi cepere: quo eventu nostri Ae-
nonam urbem, quod nullo munimento nixa hostibus pate-
ret, deseruere. Inde ingens Jaderam, ac vicinas insulas ter-
ror occupavit, atque a Senatu, ut suppetias eorum afflictis re-
bus ferret, petiere. Pedites trecenti, ducenti equites subsidio
missi: quindecim patritiae gentis, qui statim in Illyricum pro-
ficiscerentur, singulis triginta datis peditibus, creati; decem
Jaderae custodiae, bini Sico, terni Ascrivio praessent; tridui
ad protectionem spatium assignatum. Haud multo post copias
adversus Sicenses hostes movere, cujus rei rumor cum in eam
urbem pervenisset, omnes civitatis ordines in forum conve-
nere,

*Nadinum a
Turcis ca-
ptum.*

*Ura-
na in
Turcarum
potestatem
pervenit.*

*Veneti pa-
tritii cum
militibus in
praesidium
Illyrici mis-
si.*

*Sicenses a
Turcis in-
vaduntur,
& eorum in
propugnaculo constan-
tia.*